

Felices animas, quibus hæc cognoscere primis  
Inque domos superas scandere cura fuit  
**C**redibile est illos pariter vitiisque jocisque  
Altius humanis exeruisse caput.  
**N**on Venus & vinum sublimia pectora fregit  
Officiumq; fori militiæ labor.  
Nec levis ambitio perfusaq; gloria fuco  
Magnarumque fames sollicitavit opum.  
**A**dmove're oculis distantia sidera nostris  
Ætheraq; ingenio supposu're suo.

Sic petitur cœlum — — — —

Sic petemus & nos coram velut intuituri regiam Solis viam  
cæterorum item Planetarum vestigia , ex iisq; limites eorum  
discemus . & quæ norma aut regula universi exercitus cœlestis  
passus ac in illis tempora dinumeret . Eximia hæc sunt & al-  
tiora , quam ut viriculis nostris eò nitamur , freti vero & usi Di-  
vini Numinis auxilio , nec tumultuario etiam labori optatus  
finis nec fugitivis oculis suum deerit oblectamentum .

Exurge quare Phosphori micans lumen  
Fax veritatis , Numen ô pium , sanctum  
Caliginem nostræque dissipâ mentis !

## SECTIO I.

§. 1. Æquator est circulus maximus mobilis & inva-  
riabilis , undiquaque à polis mundi æquidistans , quem ☉ mo-  
tu proprio attingens in sphæra obliqua pariter & recta no-  
ctem dici æqualem facit , in parallela autem noctem diem vē  
sex mensium dirimit .

§. 2. Definitionem hanc ex utilissimo libello Astro-  
gnostico Excell. Dn. Lic. Strauchi , Præceptoris æviternum co-  
lendi desumptam ut legitimam probemus adeò opus non est ,  
quippe clara sunt omnia . Æquatorem ab æquando dici no-  
tum iis est , qui rudimenta tractant . Quod ipsum nomen offi-  
cium ejus exprimit , seu quod juxta alios primum mobile in  
duo æqualia dividat , seu quod sol cum attingens faciat no-  
bis æquinoctium , seu quod in sphæra recta , ubi cum horizon-  
te se